Eccleſiaſticorum, quomodo fiet diuiſio, & quæ accipietur pręſumptio? vide Bald. conſ. 113. vol. 2. Et quid ſi habeat beneficium & officium? Boer. deciſ. 10. *Giach.*

e *Fructibus.*] Sed nũquid Clericus plurium Eccleſiarum lucretur fructus omnium, ſi reſideat in vna? vide per Boer. deciſ. 17. vbi diſputat de fructibus groſſis. *Giach.*

f *Nunquid Papa.*] Poteſt tamen Clericus teſtari abſque licentia Papæ de diſtributionibus quotidianis: per Dec. in conſ. 280. in princ. Item, quod Papa poſſit dare Clerico licentiam teſtandi, vide etiam per Dec. in conſil. 157. nu. 4. vbi debet intelligi ſecundum ius commune, & ſine præiudicio alterius. Sed nunquid data licentia intelligatur de primo teſtamento, ita vt vagari haud poſſit; quod intelligatur de prima, ita vt nõ poſſit vagari, vide per Dec. in conſil. 112. allegato in text. in contrarium vide per Sarmen. eius tract. de reditibus Eccleſiaſticis. Item quod intelligatur ſecundum ius commune, vltra Dec. d. conſ. 157 tradit Roland. in conſ. 35. nu. 10. vol. 2. Et an licentiam teſtandi de bonis Eccleſię poſſit dare Papa abſque cauſa: communis opin. eſt quid ſic, vt refert Dec. ibi. 513. quæ data præſumitur propter antiquitatem temporis, vt per Crauet. in conſ. 36. At data licentia teſtandi non intelligitur codicillandi: vt per Soc. iun. conſil. 89. nu. 31. Et clericus quando poſtulat licentiam teſtandi de fructibus, quod debeat facere mentionem de illorum valore, & quantitate, atque de alijs, alias non valere, vide per Bart. conſil. 33. *Giach.*

Nunquid Papa poſſit dare licentiam clerico teſtandi de bonis Eccleſiæ.]

3 Adde † videndos Didacũ Couar. in capit. cum inofficijs 7. ext. de teſtament. Graſſum d. q. 34. nu. 9. & Reuſnerum d. c. 32. num. 16. alioſque ab hic citatos.

4 Sane † ne Papa quidem, aut ſummus Pontifex ipſe aliter teſtari poteſt, niſi de bonis ſuis patrimonialibus: non autem de Pontificatu, alijſque ad Pontificatum pertinentibus, hoc eſt, de B. Petri patrimonio, vt vulgo loquuntur, gloſſ. in l. cum hæredes. 7. ſuper verb. liceat, C. qui teſtamẽt. fac. poſſ. Philipp. Franc. ad rubr. de teſt. lib. 6.

5 Perinde † vt nec Imperator de imperio, aut ad ius Imperij pertinentibus hodie teſtari poſſe creditur, vt notat idem Francus in d. rubr. verſ. vigeſimoquarto prohibetur Imperator, &c. eumque referens Reuſn. d. cap. 32. num. 21. & ſeq. Atque huc pertinent, quæ de poteſtate Imperatoris latiſſime tradidimus ad Epigrapen proęmij Inſtitution. nu. 45. & multis ſequentib. *Harprec.*

g *Ex fructibus.*] Imò quod Clericus teſtari poſſit de fructibus beneficij, vide per Alexan. in conſil. 101. & 110. per Bell. 3. Anna. 87. Iaſ. 75. in 3. & 85. vol. 4. Et vbi non teſtetur, an tranſeant ad eius ſucceſſorem? vide Bald. conſil. 313. vol. 2. & omnino per Bello. eod. conſ. 3. Et quod ad hęredem ſtante conſuetudine: vide ad Anna. d. conſil. 87. nu. fin. per Bologn. in addition. Sed quid de penſionibus nondum obtentis? per Bellon. ibid. Et quid de bonis Clerico obuentis ex ſucceſſione parentum, vel donatione conſanguineorum? vide per Ann. d. conſil. 87. vbi etiam num. 2. quid in bonis acquiſitis intuitu ſeruitij perſonalis. Item quod Clerici teſtari poſſint de bonis proprijs, vel acquiſitis intuitu perſonæ, de acquiſitis vero intuitu Eccleſiæ, quod non, habetur, atque notatur in c. cum eſſes, &c. cum in officijs. de teſtam. *Giach.*

d. conſil. 314. in littera E. & conſil. 228. in littera E. lib. 4. Bene verum eſt, quod ſi probetur, quod Clericus habebat patrimonium, vel officium, vel exercitium, vel aliquid aliud, ex quo potuerit illa acquirere, præſumitur acquiſiuiße, ſecundum quod magis eſt veriſimile & in hoc concordant communiter omnes, vt dicit Corn. alleg. conſ. 88. in littera R. lib. 2. & ideo hoc caſu bonum eſſet habere Iudicem fauorabilem.

4 *Dixi ſecundo, quod habet Clericus, ſeu Prælatus, bona Eccleſiæ, ſeu beneficij, intellige, tanquam ſimplex adminiſtrator; etenim eſt eorum dominus, aut poſſeſſor, vt dixi ſupra lib. 2. §. Prælatus. Et de iſtis bonis non eſt aliquo modo tractandum: quia bona Eccleſiæ ſunt Dei, & ſunt reſeruata, vt de eorum*
e *fructibus ſubueniatur egentibus, c. videntes 12. q. 1. merito non poteſt Prælatus, aut Clericus de eis diſponere aut teſtari. Et hoc eſt indubitatum.*

5 *Sed quæro, nunquid* f *Papa*
f *poſſit dare licentiam Clerico, teſtandi de bonis Eccleſiæ? Reſpon. quòd ſic, & eſt communis opinio, vt dicit Dec. conſ. 521. poſt num. 3. nam (vt vulgaris eſt regula) Papa in beneficialibus omnia poteſt. Debent autem ex honeſtate ſummi Pontifices diligenter aduertere, ne id faciant ſine cauſa. Quamuis enim omnia liceant, non tamen omnia expediunt.*

6 *Tertio dixi, quod poteſt habere Clericus bona quæſita ex*
g *fructibus Eccleſiæ; & de huiuſmodi bonis pariter Clericus ſeu Prælatus teſtari nõ poteſt. Nam tali bona ſunt Eccleſiæ, & pertinent ad ſucceſſores in beneficio; non autem ad hæredes ipſius Clerici, ſiue Prælati; & caueant Prælati, qui in fraudem Eccleſiarum ſuarum, per tertias perſonas prędia acquiri faciunt ex pecunijs per eos cumulatis ex fructib. beneficiorum ſuorum, vt ea in propinquos ſuos poſtea perueniãt: quia dum alios fallere putant, ſeipſos potius deijciunt in æternum vitæ interitum. Deum enim non fallunt, cui nihil eſt occultum.*

7 *Sed an poterit ſummus Pontifex concedere Prælatis, vt de talibus bonis poſſint teſtari? Reſp. quod ſic. Et in ſpecie, quod Papa poſſit concedere Cardinali, vt teſtetur de bonis quæſitis ex fructibus ſuorum beneficiorum, tenuit Hoſt. in ſumma de pœnit. & remiſſ. §. qui confitendum. verſ. Cui Cardinales, & ita communiter tenetur, vt ait Dec. conſil. 157. poſt nu. 1. verſ. vlterius etiam.*

8 *Quarto videndum eſt, quid de ipſis fructibus extantibus, collectis in bonis Eccleſiæ, nunquid poſſit Clericus, vel Prælatus da eis teſtari? Hæc eſt ardua quæſtio, quę indiget pontificia deciſione, vt dicit Barbat. in c. fin. de peculio clerico, in hoc autem articulo habemus gloſſ. ordinariam, ad quam ſemper recurrimus, in c. præſenti, §. porro. in verb. Reſeruari, de offic. ordin. in 6. quæ refert quãdam diſtinctionem Hoſtienſ. in d. c. fin. de pecul. cler. diſtinguẽtis in hunc modum. Aut clericus habet ad miniſtrationem, & talis clericus, quamdiu viuit, & ſanus eſt, æquiparatur vſufructuario: & ideo poteſt de ipſius fructibus donare, moderate tamen. Cum autem incipit firmari, tunc incipit etiam æquiparari vſuario: & ſic nihil habet ex fructibus beneficij præter proprium vſum, & facultatem de eis dandi eleemoſynam pauperibus, non autẽ poteſt de eis teſtari. Aut vero clericus non habet adminiſtrationem, ſed eſt perſonaliter, & ſimpliciter beneficiatus: & talis ſemper comparatur vſufructuario, & facit fructus ſuos, & de eis poteſt tam in vita quã in morte diſponere, & teſtari; & ſubdit gloſ. quod hanc diſtinctionem approbat quaſi vbiq; generalis conſuetudo. Ita etiã de conſuetudine communiter obſeruari atteſtatur Butr. in cap. peruenit. de fideiuſſ. quem refert Corn. in d. conſ. 314. in littera B. lib. 3. Idem dicit Butr. in cap. 1. de cauſa poſſ. & prop. quem refert Imol. in cap. fin. poſt num. 11. de pec. cler. Cald. in d. c. fin. Imol. in c. relatum, el 2. num. 2. in fin. de teſt. & in c. requiſiſti, nu. 45. in fin. eo. tit. & in c. quia nos, nu. 5. eo. tit. vbi habetur, quod ita cõmuniter ſeruatur, & tenetur. Hanc etiam opin. dicit eſſe cõmunem Imol. in d. c. peruenit, poſt nu. 31. de fideiuſſ. Bellon. conſ. 3. nu. 2. & dicit Boer. cõſ. 48. nu. 1. quod illam gloſ. ſequuntur cõmuniter Scriben. Contraria tamen opin. quod ſcilicet Clericus nõ poſſit de fructibus beneficij ſui teſtari, tenuit ſimpliciter gloſ. in d. c. fin. in verb. Obitus, de pecul. cleric. & Archid. in c. ſtatutum, §. aſſeſſorem, de reſcript. in 6. & hac opin. dicit cõmuniter teneri Card.*

h *Clerici.*] An Clericus poſſit dotare filiam? vide per Lud. in c. veſtras. § 23. de don. int. vir. & vx. verum quod haud poſſit donare concubinę etiã cum iuramẽto, vide per Crauetius conſ. 219. n. 3. & per totum, per Natt. cõſ. 550. fallit propter benerita per Tiraq. in l. ſi vnquam. C. de reuoc. dona. pag. 146. Sed de meritis haud ſtandum eſt confeſſioni donatoris: quoniam aliter debent probari, vt tradit Crauet. vbi ſupra. Item quod Clericus poſſit partuos conſanguineos alere, atque ſororem inopẽ dotard de redditibus Eccleſiæ, vide per Natt. conſil. 211. num. 21. *Giach.*

Card. in c. fi. quẽ refert Bolog. in addit. ad conſ. 10. de Ana. 87. poſt nu. 4. Dicit etiam Nic. de Vbald. de ſucceſſ. ab inteſt. in vlt. particula poſt nu. 19. verſ. Non obſtant motiua, quod in quibuſcunque redditib. beneficiorũ clerici morte in æquiparantur vſurario potius, quam vſufructuario, & quod hęc videtur magis communis ſententia Doctorum. Et dicit Iaſ. cõſ. 75. col. 2. verſ. nec obſtat fundamentum, lib. 3. quod hæc opinio eſt magis communis: quod imò Clericus beneficiatus, ſiue habeat adminiſtrationem, ſiue nõ indiſtinctè prohibetur de fructibus beneficij, etiam perceptis, & reconditi teſtari: & hoc ſiue ei ſuccedat in ipſa Eccleſia ſiue ſucceſſor in beneficio. Sed quidquid dicit Iaſ. tenenda eſt opin. Hoſtienſ. & gloſſ. in d. §. porro, quam ſemper, & vbiq; vidi ſeruari, ſaltem in fructibus collectis, & reconditis. quæ magis etiam de plano procederet, vbi extaret conſuetudo, quod fructus ſpectarent hæredi Clerici, nõ autem ſucceſſori in beneficio: nam eo caſu proculdubio poſſet Clericus de eis teſtari. Et ita tenent communiter Doctores, vt dicit Bellon. in d. conſil. 3. num. 1.

9 *An autẽ Cler. ſi inteſtatus decedat, huiuſmodi fructus ad hæredes ſuos tranſmittat? dixi ſupra hoc eodem libro, §. 1.*

10 *Quinto dixi, quod Clerici habent etiam quotidianas diſtributiones; Quęro an de illis poſſint teſtari? Reſp. quod in hoc etiam variæ opiniones ſunt inter Doct. Nam aliqui tenent, quod tam in huiuſmodi quotidianis diſtributionibus, quam in alijs redditibus beneficiorum Clerici potius cenſendi ſunt adminiſtratores, & in morte vſurarij, quam domini, vel vſufructuarij, & dicit Nicol. de Vbald. in d. vlt. particula, poſt numer. 19. quod hæc videtur communis ſententia Doctorum. Contrariam autem opinionẽ, quod ſcilicet, quod tales diſtributiones quotidianæ efficiantur propriæ clericorum, tenuit Guliel. de Monte Laud. & hanc eſſe magis communem affirmat Pariſ. conſil. 33. num. 7. & ſequent. lib. 4. vbi plures auctoritates recenſet; & hæc proculdubio in via iudicij obtineret, prout etiam fateri videtur Nicol. de Vbal. in loco præallegato. Licet enim negari non poſſit, quin quodammodo dicantur acquiſitæ intuitu Eccleſiæ; tamen principaliter dantur intuitu perſonæ, propter diuturnã operam,*
h *& laborem; merito Clerici* h *eas faciunt proprias, & de eis poſſunt ad libitum diſponere. Et ita obſeruatur in practica, maximè in iam exactis; & aduerte, vt ſemper conſulendo, aut iudicando adhęreas communi obſeruantiæ; quia in prædictis quæſtionibus præcipuè eſt attendenda conſuetudo prouinciæ, vt affirmant Doctores in locis præalleg.*

QVÆSTIO XXVIII.

SVMMARIA.

Ex Claro.

1 *Monachus, vel Religioſus an poſſit condere teſtamentum.*
2 *Et numquid ante religionis ingreſſum.*
3 *Et quid ſit minor prodigus, vel furioſus.*
4 *Et an tale teſtamentum ſubſecuto ingreßu annulletur.*
5 *Et quid ſi tempore teſtamenti cogitauit de religioni ingreſſu.*
6 *Et an poſſit condere teſtamentum poſt ingreßum religionis, ſed ante profeſſionem.*
7 *Et an poſt factam profeſſionem.*
8 *Et an inter liberos.*
9 *Et an poſſit teſtamentum conditum reuocare.*

Ex Additionibus.

1 *Num Monachus contemplatione ingreſſis poſſit teſtari, etiam non ſeruata ſolemnitate iuris communis.*
2 *Plus concedi debet militibus cæleſtis, quàm armatæ militiæ.*
3 *Spiritualis temporalibus præferenda.*
4 *Minus eſt in ſpe, quàm in re.*
5 *Fauore religionis priuilegiatur volens ingredi ad hoc, vt inuitetur ad ingreſſum.*
6 *Vbicunque publica verſatur vtilitas, idem iudicatur de eo, qui eſt in via ad actum, prout de eo, qui eſt in actu.*
7 *Qui de proximo creandus eſt miles, pro milite habetur.*
8 *Potentia propinqua actui habetur pro ipſo actu.*
9 *Pœna ſtatuti de offendente ſcholarem matriculatum, in qui locum habet.*
10 *Mens, & intellectus, Nouell. 5. cap. 5.*
11 *Sententia can. quia ingredientibus. 7. cau. 19. q. vlt.*
12 *An teſtamentum conditum ante religionis ingreſſum per ſubſequentem poſtea ingreßum irritetur, remiſſiuè.*
13 *An, & quatenus monachus poſt ingreſſum, & ante profeſſionem teſtamentum facere poſſit.*
14 *Intellectus auth. ingreſſi, C. de ſacroſ. eccleſ.*
15 *Si ingreſſus monaſterium moriatur intra annum probationis, cui debeantur eius bona, num monaſterio, an venientibus ab inteſtato.*
16 *Vtrum Monachus poſt profeſſionem poſſit facere teſtamẽtum.*
17 *Et quid, ſi efficiatur Epiſcopus.*
18 *Et quid ſi ingreſſus proteſtatus ſit, vt poſſit bona retinere.*
19 *Quo pacto pater, qui monaſterium ingreditur, inter liberos teſtari queat poſt profeſſionem.*
20 *Et quid ſi non habeat liberos, ſed parentes, an inter ipſos parẽtes teſtare valeat.*
21 *Vt legitima filiorum, ita & parentum aucta eſt.*
22 *Parentes in legitima ſuperant pauperes, & captiuos.*
23 *Parentes quatenus donationem inofficioſam reuocari poſſint.*
24 *Monaſterium quando filij loco habeat.*
25 *An monaſterium fictus filius dici queat.*
26 *Fictio imitari debet naturam.*
27 *An, & quatenus monachus poſt profeſſionem poſſit reuocare, aut mutare teſtamentum ante profeſſionem factũ, remiſſ.*

ADDITIONES.

a IN *primo tẽpore certũ eſt, &c.*]
1 Monachus ante ingreſſũ monaſterij non modo teſtamentum facere poteſt, per rationem hic à Claro adductam: ſed etiamſi quiſpiam teſtari velit ante Religionis ingreſſum, intuitu tamen, ſiue contemplatione ipſius ingreſſus teſtari poterit, etiam non ſeruata ſolemnitate iuris communis, vt poſt Bartolum, & Decium, hic laudatos tenent Iaſ. in Authentic. ſi qua mulier, nume. 21. & 23. C. de ſacroſanct. Eccleſ. Panor. & Anton. de Butrio in c. præſentia 8. de probatio. hoſque allegãs Thadæus Piſo lib. 1. variat. reſolu. cap. 8. num. 3. Et licet hęc opinio in puncto iuris te-

QVÆSTIO XXVIII.

1 *QVæro, nunquid Monachus, vel Religioſus, habeant teſtamenti factionem? Reſpondeo, videndum eſt in primis, an poſſint teſtamentum condere: Secundo, An ipſi poſſint capere ex Teſtamento aliorum. Quo ad primam, diſtinguenda ſunt tria tempora. Primum eſt, ante ingreſſum. Secundum eſt, poſt ingreſſum, ſed ante factam profeſſionem. Tertium eſt, poſt factam profeſſionem.*

2 a *In primo* a *tempore certum eſt, quod quicunque modo alias ſit habilis ad teſtandum, poterit teſtamentum condere,*

ſte Claro hic) patiatur aliquam difficultatem: tamen ſequentibus rationibus non improbabiliter ſuſtinetur. 2 † Primo enim ſi illud permittitur militibus armatæ militiæ, qui pugnant pro defenſione temporalium, & corpor. multo magis permittendum erit militibus 3 cæleſtis militiæ, qui † pugnant pro defenſione ſpiritualium, & animarum, quæ omnibus temporalibus præferenda ſunt, cap. ſolitæ, 9. §. quod autem ſequitur, de maioritate, & obed. cap. præcipimus. 24. cau. 12. q. 2. Et quanquam Salicetus, eiuſque aſſeclæ in d. Authentic. ſi qua mulier. C. de ſacroſanct. Eccleſ. diſſentiendo obijciunt ſimile iſtud de milite adductum non eſſe bonum: cum procedat: in eo tantum, qui actu eſt miles, non in eo, qui cogitat, ſiue ſperat fieri 4 miles, vt in caſu noſtro: & minus ſit in ſpe, quam in re, argum. l. minus eſt 204. ff. de regul. iur. attamen reſpondetur, quod fauore religionis priuilegiatur volens ingredi ad 5 hoc, vt inuitetur ad † ingreſſum: ſicut videmus, quod ingreſſus priuilegiatus in caſu, quo inter liberos teſtatur, vt facilius ad ingreſſum inuitetur. dicta Authentica ſi qua mulier. C. de ſacroſanct. 6 Eccleſijs. † Deinde reſponderi poterit, quod quando verſatur publica vtilitas, vt hic fauor Religionis eſſe videtur, idē iudicatur de eo, qui eſt in via ad actum, prout de eo, qui eſt in actu, argumen. l. abeſſe 32. & l. qui mittuntur 35. ff. ex quibus cauſis, maiores 25. ann. in integrum reſtitut. 7 Quo confert, quod † qui de proximo creandus eſt miles, habetur pro milite, & qui de proximo eſt accingendus, pro accincto habetur l. penult. ff. de teſtament. milit. vbi Bal- 8 dus notat, quod † potentia propinqua actui habetur pro ipſo actu. Eodem facit, quod tradit Angel. in l. ex eo tempore, 42. ff. eodem, dum ait, quod 9 † pœna ſtatuti de offendente Scholarem matriculatum habeat locum in eo, quem Rector iuſſit matriculari, licet nondū eſſet deſcriptus in matricula: quoniam de proximo matriculā- 10 dus in matriculatis reputantur. Secūdo prædicta † opinio probatur per text. in Nouell. 5. de monachis. cap. 5. vbi Iuſtinianus decernit, eum, qui in monaſterium introire voluerit, antequam Monaſterium ingrediatur, licētiam habere ſuis vti, quo voluerit modo. Ergo abſque ſolemnitate iuris, quia qui habet poteſtatem diſponendi de bonis ſuis, quo vult modo, poteſt teſtari ſine ſolemnitate iuris, l. 1. ff. de teſta. milit. Nec mouet ſi obijciatur, textum iſtum intelligendum eſſe de actibus inter viuos, quibus verbum illud vti magis conuenit, quam vltimæ voluntati, l. vti frui. 5. ff. ſi vſusfruct. pet. Nā verb. illa, vtiquomodo voluerit, planè generalia sūt quæ etiā teſtamento conueniunt. Aliud quippè eſt dicere, quem poſſe vti bonis, quomodo velit; aliud vti, & frui bonis ſuis; vel ſimpliciter, vti bonis. Siquidem primo caſu verificantur verba etiam teſtando; dicta l. prima, cū ibi notatis, ff. de teſtamēt. milit. & l. 1. C. de ſacroſanctis Eccleſijs. Secundo autem, & tertio caſu conueniunt actibus inter viuos tantum. Præterea ratio aſſignata in d. Nouell. 5. c. 5. generalis eſt: quia dicit Imperat. quod ingrediens poſt ingreſſū non poſſit vti rebus ſuis, quomodo voluerit: quia amplius non erit earum dominus. Ergo ante ingreſſum poterit: quia erat 11 dominus. Ad † cuius ſententiæ confirmationē accedit textus in can. quia ingredientibus 7. cau. 19. quæſtione vltima, vbi apertè dicitur ingredientibus monaſterium poſt ingreſſum vlterius nullā eſſe licentiam teſtandi; & ſic negatur omnis potentia, tam de iure communi, quam ſpeciali. Ergo ante ingreſſum vtroque modo licebat teſtari: alioquin illa verba vniuerſalia nihil operarētur: quia ſatis fuiſſet dicere, non ſit licentia teſtandi, vt poſt alios id declarat Thadæus Piſo dicto libro primo var. reſolut. capit. 8. num. 11. *Harprec.*

antequam ingrediatur religionem: & illud teſtamentum valebit. Poteſt enim quilibet ante ingreſſum religionis de bonis ſuis diſponere, prout voluerit; eſt text. expreſſus in §. illud. in Auth. de Monach. Quin imò, ſi aliquis teſtetur ante religionis ingreſſum, contemplatione tamen ipſius ingreſſus, poterit teſtari, etiam non ſeruata ſolemnitate iuris communis. Ita tenet Baldus in Auth. ſi qua mulier, poſt num. 7. verſ. Ex hoc dico. C. de ſacroſanct. Eccleſ. & hanc dicit eſſe communem opin. Dec. conſil. 31. poſt nu. 5. Si enim hoc permittitur militibus armatæ militiæ; multo magis permittēdum eſt huic, qui de proximo accingēdus eſt cæleſtis militiæ. Et licet hæc opin. in puncto iuris patiatur aliquam difficultatem: tamen non credo, quòd in practica obtineret, propter auctoritatem Bart. & ſequacium.

3 *Sed nunquid minor, prodigus, vel furioſus, poterunt ingrediendo Religionem teſtari, vel alias diſponere de bonis ſuis etiam ſine auctoritate curatoris, ſi quem habent? Reſpondeo quod ſic, dummodo appareat, quod tempore diſpoſitionis, & ingreſſus non eſſet furioſus. Ita tenet Io. Andr. in c. in prēſētia, de probatio. Et ita etiā communiter teneri atteſtatur Abb. in eod. c. in præſentia, nu. 54. Nā in ſpiritualibus non attenditur auctoritas patris, vel curatoris. Eſt magna deciſio, & repugnare videtur his, quæ dixi ſupra q. 2. verſ. 2. infertur, & ſequen. nihilominus magna eſt etiam auctoritas iſtorum patrū qui illam tenent.*

4 *Sed retenta cōcluſione, quod teſtamentum cōditum ante religionis ingreſſum valeat. Quæro,* b *b nunquid teſtamentum per ſubſequentem religionis ingreſſum annulletur? Solemus enim dicere, quod monaſterium habetur loco filij, vt dixi infra lib. 1. §. Eccleſ. ideò ſicut natiuitate poſthumi rumpitur teſtamentum, ita etiam videtur dicendum in religionis ingreſſu? Reſpondeo, ſi loquimur de religione incapace bonorum immobilium non rumpitur per huiuſmodi religionis ingreſsū, ſed imò ab ipſo ingreſſu vires aſſumi, non aliter, ac ſi ipſe ingrediens naturaliter mortuus fuiſſet, & in propoſito vide, quę dixi ſupra §. ſubſtitutio. Si verò loquimur de monaſterio capace bonorum, & ſucceſſionum, tūc & diſtinguendum. Nam aut teſtator fecit teſtamentum, non cogitans de ingreſſu monaſterij & hoc caſu per ingreſſum rumpitur teſtamentum, ad exemplum filij nati poſt teſtamentū; & ita tenet Bart. in d. Authēt. ſi qua mulier, poſt nu. 7. & eſt communis opinio, vt atteſtatur Imol. in cap. 1. num. 11. de teſtam. quem refer Ioā. Dilect. de arte teſtandi. tit. 3. caut. 9. nu. 1. Aret. in l. 1. n. 6. in fin. ff. de teſtam. Quam tamen concluſionē intellige, vt procedat, dummodo teſtator in ipſo monaſterij ingreſſu, non ſolum ſeipſum, ſed etiam bona ſua, expreſsè monaſterio dedicauerit, alias verò, licet ingrediens monaſterium cenſeatur etiam bona ſua tacitè dedicare monaſterio, non crederem, quod per hanc tacitam voluntatem dicatur reuocata prior expreſſa voluntas. Item, illam intelligo, vt procedat, quantum ad inſtitutionē ſed quo ad reliqua crederem teſtamētum ipſum ſuſtineri, iuxta diſpoſitionem Auth. ex cauſa. C. de liber. præter.*

5 *Aut verò fecit teſtamētum cogitans de ipſo ingreſſu; & tunc ſi aliquid relictum eſt monaſterio, pariter non videtur dubitandum, qui teſtamentum ipſum valeat; maximè ſi fuit relictum titulo inſtitutionis ſecundum omnes, vt dicit Imol. in l. 1. nu. 11. in fin. ff. de teſta. Ita etiam communiter atteſtatur Abb. in d. c. præſentia, num. 49. in fi. Si verò nihil reliquit*

b *Nunquid tale teſtamentum per ſubſequentē religionis ingreſsū annulletur.*] Adde de hac quæſtione prolixè diſſertantes Didacum Couarr. in c. 2. nu. 5. de teſt. Fernan. Vaſq. de ſucceſſ. creat. §. 120. num. 29. Michaelem Graſſ. lib. 1. recept. ſent. §. teſtamentum, q. 34. nu. 2. cum ſeqq. Nicolaum Reuſ. in tract. de iure teſtament. par. 3. cap. 31. nu. 12. cum ſeqq. & Thadeū Piſonem d. c. 8. nu. 12. & ſubſeqq. vbi omnium fuſiſſimè quæſtionem iſtam explicat. *Harprec.*

Dixi,

c *Dixi, ſecundum tempus conſiderari poſſe, &c.*] Mona- 13 chus poſt † ingreſſum, & ante profeſſionem poteſt facere teſtamentum, & de bonis ſuis diſponere eodem modo, quo poteſt & ante ingreſſum. Etenim monachus nouitius intra annum probationis tanquam laicus cenſendus eſt: nec dicitur monaſterium ingreſſus is, qui nondum profeſſionem fecit, arg. d. c. 2. vbi Couar. num. 4. & ſeqq. de teſtam. & d. can. quia ingredientibus. 7. cauſ. 19. q. vlt. Bart. num. 20. & ceteri ſcribentes in d. auth. ſi qua mulier C. de SS. Eccleſ. Raphael, Fulg. Alex. & Corneus in l. ſi quis hæredem. 7. C. de Inſtit. & ſubſtit. Graſſus d. q. 34. num. 5. Tiraq. de retract. lignager. §. 1. gloſſ. 8. num. 34. vbi ad hoc plures 14 citat. Nec † aduerſatur textus in auth. ingreſſi. C. de SS. Eccleſ. vbi traditur, quod ſolo ingreſſu bona monaſterio acquirantur, & conſequenter monachus de ipſis teſtari non poſſit. Nam accipi debet de ingreſſo cum effectu, & ſic ſecuta profeſſione; non autem de eo, qui ſimpliciter ingreſſus eſt, & habitum aſſumpſit, vti loquutur. Is namque dicitur nouitius, & non proprie ingreſſus; quemadmodum, poſt Doctores ſupra relatos, docet Thadeus Piſo d. lib. 1. c. 8. nu. 29. *Harprec.*

d *Licet ſi decedat inteſtatus, eius bona acquirantur monaſterio.*] Hanc 15 Iulij † Clari opinionem amplexi ſunt iam olim Iacobus de Rauenn. & Petrus de Bella pert. in d. authent. ſi qua mulier. C. de ſacroſ. Eccleſ. Ant. de Butr. in cap. de præſentia 8. col. 17. de probationibus ibique late Barb. num. 51. & multis ſeqq. At verior æquiorque eſt ſententia exiſtimantium, quod eiuſmodi bona non acquirantur monaſterio, ſed debeantur venientib. ab inteſtato: maxime, quando ingrediens expreſſe non contulit bona ſua monaſterio, ſed ſimpliciter intrauit cauſa probationis. Tunc enim cum intra annum non ſit religioſus, c. religioſos 21. §. 1. de ſent. excommunic. in 6. & bona nec tacite, nec expreſſe tranſiuerint ad monaſterium, & adhuc habeat facultatem condendi teſtamentum, & decedat ab inteſtato: conſequens vtique eſt, vt ei proximiores ſuccedere debeant; & eo magis, cum idem obſeruetur in clerico ſeculari, qui magis eſt aſtrictus Eccleſiæ, quam exiſtens intra annum probationis; cui prius conſanguinei, & in defectum Eccleſia ſuccedit. can. fin. 12. q. 5. Et ita ſentiunt Pet. de Anchar. in c. beneficium 4. de regularibus in 6. Iaſ. in d. auth. ſi qua mulier. num. 59. C. de ſacroſ. Eccleſ. eoſque referens Piſo prædicto lib. 1. var. reſol. c. 8. num. 31. Eadem de re inſpiciatur Petrus Gilkenius ad d. auth ingreſſi, nu. 31. C. de SS. Eccl. *Harprec.*

e *Poſt profeſſionem.*] Hic cadit pulchetrima quæſtio, an ſcilicet creditores intrantis religionem debeant conuenire debitorem, vel monaſterium? vide per Spec. tit. de ſtat. monach. num. 53. *Giach.*

Poſt profeſſionem.] Religionis iam profeſſus tū quidem, cum eſt Prȩlatus, teſtari poteſt. Capt. in ſuis reg. c. 10. num. 32. niſi cum ſummi Pontificis licentia; quam ſuperuenire non ſufficit; neque Abbatis auctoritas, vna cum capituli conſenſu idonea eſt. Iaſ. conſ. 54. volum. 1. Accur. conſ. 100. num. 3. Burſat. conſ. 75. nu. 23. 24. 25. *Gouean.*

f *An religioſus profeſſus poſſit condere teſta-* 16 *mentum.*] Quod † monachus poſt ingreſſum, & poſt factam profeſſionem nec teſtamentum condere, nec aliquo alio pacto de rebus ſuis diſponere poſſit, adeo verum certum- 17 que eſt, vt † procedat, etiamſi ille factus fuerit Epiſcopus. Nam adhuc teſtari non poterit, non ſolum de bonis iam monaſterio quæſitis, ſed nec etiam de alijs poſtea obuenientib. Huiuſq; ratio non obſcura eſt; quia monachus propter epiſcopatum, in totū a regula nō eximitur, nec à ſubſtantialibus ipſius regulæ: & ideo nihil poteſt habere proprium, nec mutare habitum; vſque adeo, vt ſi deponat habitum monaſticum, & aſſumat rochetum, ſit excomunicatus, argum. text. in cap. 2. ne clerici, vel monachi ſecularib. negoc. ſe immiſc. in 6. Et tradunt Iaſ. in d. auth. ingreſſi, nu. 14. cum ſeq. C. de ſacroſ. Eccl. Couar. in c. 1. nu. 18. de teſt. Thadeus Piſo d. lib. 1. c. 8. num. 33. alijque ab eo deſi- 18 gnati. Quin † & licet ingreſſus proteſtatus ſit, vt poſſit bona retinere, vel profeſſus ſit ſub hac conditione, vt bona retineat: adhuc tamen teſtari minime poterit: cum huiuſmodi proteſtatio, & conditio non valeat: eo quod eſt contra ſubſtantiam religionis, vt monachus aliquid proprium habeat. c. cum ad monaſterium 6. in fi. ibique gl. ſuper verb. abdicatio. de ſtatu monachor. c. ſi religioſus 27. de elect. & electi poteſt. in 6. can. non dicatis 11. cauſ. 12. q. 1. Graſſ. d. §. teſtamentum, q. 34. nu. 6. vbi plures allegat. *Harprec.*

19 g *Scias tamen, quod poterit huiuſmodi profeſsus, &c.*] Si ille, qui liberos habebat, antequam de rebus ſuis diſponat, monaſterij legem amplectatur; poterit facultates ſuas ita inter liberos diſtribuere, vt quod reliquum eſt, monaſterio competat, ſed tamen ſine diminutione legitimæ portionis. Quod

monaſterio, variæ ſunt opi. inter Doct. nam aliqui tenent, quod teſtamentum irritetur præteritione monaſterij, prout etiam rumpitur agnatione poſthumi. Et hanc opi. dicit eſſe cōmunem Imol. in d. l. 1. num. 11. in fi. quem refert Iaſ. in d. Aut. ſi qua mulier, num. 17. in fi. & illam dixit communiter ſeruari Alber. in ead. Authen. ſi qua mulier, poſt princ. Contrariam autem opinionem, ſcilicet, quod imò per ingreſſum religionis non rumpatur teſtamentum, etiamſi in ipſo teſtamento nihil relictum ſit monaſterio, tenuit Bart. in d. Authent. ſi qua mulier. num. 8. cuius opin. dicit eſſe communiter approbatam Ripa in l. ſi vnquam, q. 35. nu. 94. C. de reuoc. don. referens idem atteſtari Dec. in d. conſil. 31. quem ego (ni fallor) fidelius retuli ſupra verſic. In primo tempore, & ab hac opi. ego non recederem in practica, attenta diſpoſitione d. §. illud. generaliter loquentis, & quæ mihi iuſtior, & æquior videtur, & magis fauet teſtamento, & iudicio meo, hodie eſt etiam magis communis: ſaluo tamen ſēper iudicio ſanctæ Eccleſiæ, cui in omnibus me ſubijcio.

6 c *Dixi* c *ſecundum tempus conſiderari poſſe poſt ingreſſum, ante tamen factam profeſſionem: & aduerte, quia ego hic accipio ingreſſum pro ſimplici ingreſſu: & aſſumptione habitus; & ſic quando ſolum eſt nouitius, nō autem prout proprie intelligitur ingreſſus; quando ſcilicet eſt facta profeſſio. Et tenendum eſt, quod talis nouitius poteſt teſtari, licet* d *ſi decedat inteſtatus, eius bona acquirantur monaſterio, non autem venientibus ab inteſtato, vt dixi ſupra, hoc eo. li. §. 1.*

7 e *Tertium tempus eſt* e *poſt profeſſionem factam; & circa hoc tempus duo ſunt videnda.* f *Primum, an Religioſus* f *profeſſus poſſit concedere teſtamentum. Secundum, an poſſit teſtamentum iam conditum reuocare. Circa primum eſt tex. expreſſus in authent. ingreſſi. C. de ſacroſ. Eccleſ. quod ingreſſi monaſteria ſe, ſuaque dedicant Deo, nec ergo de his teſtantur, vtpote nec domini rerum; quæ auth. eſt canonizata in c. quia ingredientib. 19. q. 3. & intellige, quod ſi eſt ingreſſus monaſterium capax bonorum immobilium, non poteſt teſtari; quia tēpore profeſſionis omnia eius bona ipſo iure tranſlata ſunt in ipſum monaſterium; vt habetur in d. authen. & dixi in loco præallegato. Si vero eſt ingreſſus monaſterium incapax, pariter non poteſt teſtari, ſed alia ratione, quia ſcilicet tempore profeſſionis amiſit dominiū omnium rerum ſuarum, quod fuit acquiſitum eius hæredib. ab inteſtato venientibus, vt ibi dixi. Vel dic, & forte melius, quod ingreſſus religionem nō poteſt teſtari, non ea ratione, quia nō habeat bona: hoc enim non cōſideratur, quantum ad hoc, vt quis debeat cenſeri teſtabilis, vel non, vt dixi ſupra, q. 9. ver. Aliquando vero. Sed quia mutat ſtatum, & amittit libertatem, quo ad ſeculum, licet vera libertas ſit ſeruire Deo.*

8 g *Scias* g *tamen, quod poterit huiuſmodi profeſſus in monaſterio capace bonorum immobilium teſtari inter liberos, iuxta diſpoſitionem Auth. ſi qua mulier. C. de ſacroſ. Eccleſ.*

ſi autem